



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

XX. Opinio sanctitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

## CAPVT XX.

*Opinio sanctitatis.*

**N**ON minimum in Gaspare sanctimoniam rarioris argumentum fuit, constans omnium ea de re opinio ac fama. Non equidem hoc loco propono enarrare, quantum hoc Lusitani, Iudaei, Saraceni, boni, mali, genus omne hominum vno ore confirmarint; ea satis ex dictis patuerunt: solum hic referam litterarum aliquot fragmenta, quibus id ipsum comprobatur, ne magnorum de Gaspare virorum iudicia deperdantur. Et ille quidem, cui Gaspar supra respondit, vocat eum diuino favore ad has Indiae partes missum in salutem & perfectionem animarum. Sed ut alia omittere minus illustria, Georgium Capralem, Indiae Proregem, & Iohannem Albuquerqueium, Goanum Praesulem, testes appello. Prioris haec sunt ex breui ad eum epistola, quae ad rem faciunt, fragmenta: Binas hic mihi tuas reddiderunt, quas ego  
 tanta

*Proregis  
 ad Gasparem  
 epistola.*

tanta veneratione legi, ac si fuissent  
 D. Pauli; & incredibiliter sum læta-  
 tus, cum intelligerem tantoperè di-  
 uinam Armuziæ gloriam in mul-  
 torum conuersione promoueri.  
 Quod in ea ciuitate de Collegio co-  
 gitas, pro more facis; ea ego tibi o-  
 pera inuideo. Mando, vt si quis mi-  
 les Lusitanus in Societatem coopte-  
 tur, stipendia sint Collegij. Itē quæ-  
 stori meo mando, vt quingentos ti-  
 bi pardaos eleemosynæ nomine ab  
 Rege numeret ad promouendum  
 opus tuum. Rogo te ob amorem  
 Dei, vt sæpe me de his rebus inter-  
 pelles: spero enim his pijs operibus  
 multum apud Deum mereri. Ad  
 Regem Armuziæ scribo, vt se faciat  
 Christianum, vt rogasti; eas litteras  
 ad te mitto. Spero tantum posse vir-  
 tutes & orationes tuas, vt hanc illi  
 apud Deum gratiam valeant impe-  
 trare. Rogo te Pater, vt ad me, sæpe  
 de te deq; tuis rebus litteras des, &  
 si qua in re videbitur, auctoritatem  
 nostram interponas: multum e-  
 nim lætabor, si qua in re obsequi  
 tibi

tibi licuerit. Goæ, 24. April. 1550. Ita  
Prorex. Goanus verò Antistes quan-  
ti illius virtutem & eruditionem  
faceret, potestate sua cum illo per  
litteras communicata, quam à sum-  
mo Pontifice summam acceperat, o-  
stendit. Sed & domestica nostrorum  
testimonia visum adijcere; nihil e-  
nim vereri oportet, ea suspecta fo-  
re, cum tot vel rerum, vel hominum  
testificationibus sunt corroborata;  
imò velut testibus oculatis plus ali-  
quid illis tribuendum existimo,  
quibus ex quotidiana cum Gaspare  
consuetudine illius virtus magis  
fuerit quam ceteris omnibus per-  
specta. Non omnium persequar de  
eo dicta (nam hoc esset vnius alte-  
rius voluminis; & multa iam dicta  
sunt,) sed solùm elogia quædam  
breuiora; nec omnium, sed eorum,  
qui eo tempore in India emine-  
bant. Nam nullus erat eo tempo-  
re, qui ex India scribebat, qui Gas-  
parem omisisse non religioni sibi  
quodammodo ducere videretur: ita  
vno omnes ore de eo prædicando  
conten-

contendebant, & eo magis, quod admirabilius vulgò videbatur, Gasparem illum, vestiarij Conimbriensis adiutorem, concionatorem illum qui risum mouerat, & ineptus vulgò videbatur, vnum esse ac propè primùm ex Indicis Thaumaturgis. Primus locus B. Francisco Xauerio, cuius testimonium est instar omnium, negari non potuit; qui quidem quanti eum faceret, iam alias sæpè est ostensum: sed tamen apertius quoq; conceptis de eo verbis ita ad P. Simonem Rodericum Lusitanicæ prouinciæ Præpositum, scribit Goâ 8. Aprilis 1552. P. Gasparem Collegij sanctæ Fidei (sic alio nomine dicebatur D. Pauli Collegium Goanum) Rectorem constituis; hominem, cui multum confido; hominem humilem, obedientem, cui Deus insignem concionandi gratiam communicauit. Ita concionem ad lacrymas mouet, cū verba facit, vt sit vnde merito Domino possim gratulari. Idem ad B. Ignatium eadē propè repetit: Collegij Goani Rectorem

ctorem, Gasparem Belgam consti-  
tuit, virum spectatae virtutis, & cæ-  
lestibus donis cumulatum, eundem-  
que concionatorem egregium, &  
ciuitati vniuersæ ac domesticis v-  
nicè carum: omnes qui in his locis  
versantur, tum Patres, tum fratres  
ei parere iussi. Post B. Xaueriû Mel-  
chior sibi locum vendicat, qui in o-  
mnibus literis perhonorificè de il-  
lius præcellenti virtute mentio-  
nem facit; sed in primis ijs, quas  
1551. 9. Nouembris dedit, vbi sic ha-  
bet: P. Gasparem Deus, ex quo in  
Indiam venit, tot cælestibus donis  
cumulauit, vt omninò me in stu-  
porem rapiat. Continuo ardet igne  
charitatis; populû vniuersum, quò  
vult, impellit; infatigabilis est in la-  
bore veldiurno vel nocturno. Deni-  
que vir est, cuius operâ De' omninò  
vult honorari. Hic domi optimè &  
cû insigni facundia concionatur. De  
Ludouico Froez nihil dicam; nam  
quæ toto tertio libro dicta sunt,  
illi vni ferè debemus: & sufficere  
potest id, quod de miraculis su-  
prâ

pr  
Ba  
na  
di  
qu  
fti  
ne  
qu  
zal  
suc  
qu  
cis  
sol  
nia  
qu  
fra  
pu  
im  
lis  
cui  
cit  
des  
qua  
fec  
Em  
dur  
spe

prà diximus, cur ea non attigerit. Balthasar quoque Gagus è socijs nauigationis vnus ita scribit: Benedictus ille Pater (de Gaspare loquens) quacumque transit, sui vestigium relinquit: perpetuum ignem videtur animo gestare; & est quoque infatigabilis. P. verò Gonzalvus Roderiques, eius Armuziæ successor, inter alia hoc de eo reliquit elogiũ: Armuziam tenui paucis post diebus, quam P. Gaspar inde soluerat. Ibat cum Antonio Noronia, classis Præfecto, arces omnes, quã iter erat, inflammans. Hic video fratres, quã nouum erit huic populo mecum agere, ita à virtutibus imparato; qui ita perfecto viro, qualis erat P. Gaspar, iam assueuerat, cuius operã hinc Deus tanta perfecit. In magno erant hinc omnes eius desiderio, asserentes à nullo vnquam alio posse, quanta per eũ Deus fecerat, exspectari. Hactenus ille. Emanuel Texeira, tum quidem nondum Sacerdos, sed tamen magnæ spei, qui postea rebus gestis & ad-

S 6

mini-

ministrata cum titulo Præpositi India notus, multa de eo narrat alibi dicta, atque his titulis Gasparem ornat: Plane affero vobis fratres, quòd eius spiritus ac feruor est infatigabilis. Planè magnus est Dei feruus. Ita ille, & alij permulti alia permulta; sed vt dixi, pauca seligã: etenim quæ dixi pauca sunt, si cum omnibus, quæ adferri potuerant, conferantur.

Concludam porrò præclaro P. Airez Brandaon encomio, cui quæ de Gasparis morte dicta sunt, maxime debemus. Fuit is deinde post mortem Gasparis vltimus Armuzianæ Indiæ cultor. Ita igitur ait: P. Emanuelis Moraes, & P. Urbani mortem non parum sensimus, potissimum P. Gaspar, quòd vniuersi in eum labores recidebant, qui tanti sunt, vt alios decem non parum occuparent: sed tamen tantus erat eius animus, vt etiam si plures forent, aggredereetur nihilominus vniuersos; & hi quoq; essent exigui, si cum eius desiderijs vel Deo obsequendi



quendi, vel proximum iuuandi cōparentur. Hæc ille & alia permulta: nam fusè in eius laudes excurrit. Hic ego claudere statueram, cum queri coepit Antonius Quadrius, immeritò se negligi, nec satis æquo animo ferre, se à Gasparis prædicatoribus excludi. Et sanè ita est. Nam licet biennio post Gasparis mortem in Indiam venerit, tamen auctoritatis suæ pondere, vt inter eius esset Encomiastas, impetrauit. Nam tertius à Gaspare toto decennio in India socios sapientissimè gubernauit, & vt verè dicam, eam prouinciam vel solus vel præcipuus in ordinem redegit. Is vbi de B. Francisci virtutibus egit fusè, primum ab eo Gasparem statuit. Ex omnibus, inquit, Patribus, ac fratribus, qui hïc fuerunt, multi eum proximè sunt consecuti: nam P. Gaspar vir certè fuit, qui permultos ad Deum adduxit, idque grata & facili conuersatione, qua sanè proximè ad P. Franciscum accedebat. Labores, quos breui, quo vixit hic tempore, subiit,

subijt,

subijt, tanti sunt, vt videatur illud Salomonis expleffe: Consummatus in breui expleuit tempora multa. Plus enim paucis annis, quàm alij multis solent, laborauit. Inde breui texēs totius eius vitæ narrationem, ita concludit: P. Gasparem ego mihi persuadeo non minimam, sed maximam fuisse causam cognitæ hîc & coli coeptæ Societatis. Etiam nunc stupori est eius vita tum nostris tum externis, qui eius exemplo multum à nobis exspectant, & plus aliquando quàm possimus. Eodem quoque duce plurimum ad enitendum incitatur.

FINIS.

INDEX